VOTUM, ET SENSUS

Eminentiſs., ac Reverendiſs. Domini

CARD. BELLUGA

EPISCOPI CARTHAGINENSIS

PONENTIS

IN CAUSA

Hiſpalenſis Eccleſiæ

Extenſionis Officiorum

SS. ISIDORI, ET LEANDRI.



ROMÆ M. DCC. XXII.

Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum
in Archigymnaſio Sapientiæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini.



Enerabile Capitulum Hispalense SS. D. N. sequentem Libellum porrexit; *B. P., Decanus, & Capitulum S. Ecclesiæ Hispalensis humili obsequio Sanctitati Vestræ exponunt, quòd cùm Sanctissimorum Præsulum dictæ Ecclesiæ, nempe Leandri, & Isidori, veneratio strictis Cancellis circumscribatur, & si satis notum sit S. V., fuisse duo lumina Ecclesiæ Catholicæ, statuerunt Sanctitati Vestræ preces porrigere, ut Sancti Leandri Festus dies sub ritu duplici in omnibus Hispaniarum Regnis, S. Isidori verò sub eodem Ritu duplici in universa Ecclesia Dei, in Hispania verò sub Ritu duplici secundæ Classis cum Octava, & Officiis propriis, aliàs jam per Sedem Apostolicam approbatis, celebretur; pro qua gratia supplicant quoque S. V., nedùm Serenissimus Rex Catholicus, Eminentissimus Archiepiscopus Hispalensis, Senatus dictæ fidelissimæ Civitatis, ut constat ex Epistolis, quæ dantur S. V., sed & omnes ferè Reverendissimi Episcopi, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium, ac nonnullarum Civitatum Regnorum Hispaniæ, prout ex eorum Epistolis præsentandis in Sacra Congregatione Rituum apparet; Et præfatam gratiam à Sanctitate Vestra consequi sperant, ex rationibus adductis in supplici Epistola per eosdem Oratores S. V. directa, quæ datur annexa, & Deus &c.*

Hunc libellum Sanctitas Sua huic Sacræ Congregationi dignata fuit remittere, à qua mihi commissum est, ut rem examinem, & sensum meum aperiam, & referam.

Quod ut adimpleam, licèt ea, quæ conducere possunt, & allegari pro hac extensione, à V. Capitulo Hispalensi in suis scriptis sint jam exposita; cùm illis non obstantibus Reverendissimus D. Prosper Lambertinus, Promotor Fidei, utrique prætensioni, ut muneris sui est, se opponat; opere pretium mihi videtur, de omnibus relationem facere, ut mentem meam huic Sacræ Congregationi aperire valeam.

§. I.

1 PRimæ prætensioni extensionis Officii Sancti Isidori, quoad utramque partem prædictus Reverendissimus D. Promotor opponit. Quo ad primam (extensionis ad totam Ecclesiam Officii ejus pro Hispania concessi), quòd si Officium S. Isidori, quod pro Hispania est concessum, extenderetur ad universam Ecclesiam, cùm officium sit Doctoris, ab omni Ecclesia tanquam Doctor celebraretur, cùm tamen ab Ecclesia, ut talis celebrari non debeat, quando uti talis ab ea non est declaratus, quod requiri testatur Petrus Annatus *in apparatu ad Theologiam positivam lib.4. artic.1.*, quem sequitur Rabaud. *in exercitationibus Theologicis tom.2. exercit. 4. cap.9.* Quoad secundam (nimirum, quòd pro tota Hispania concedatur idem Officium sub Ritu secundæ Classis cum Octava) obiicit *Rubricam 7.*, quæ videtur hanc prætensionem excludere. Et secundæ præten-

ſioni [nimirum extenſionis Officii Sancti Leandri pro tota Hiſpania ſub Ritu duplici] adhuc objicit, quòd cum interceſſione S. Leandri nullum Deus miraculum de novo patraverit, quod indicet ejus voluntatem eſſe, quòd hæc extenſio fiat, non eſt cur veniat facienda, nec S. Leander in Officio cum Sancto Iſidoro, & ſi germano fratre, æquandus.

2 Hæc ſunt præcipua fundamenta, quæ hodie militant contra hanc prætenſionem, quibus V. Capitulum ſatisfacere conatur, ut Eminentiis Veſtris ſatis notum eſt.

3 Hoc ſuppoſito, licèt ambæ Scripturæ, à V. Capitulo Hiſpalenſi traditæ, judicio meo poſſent ſufficere pro inclinando animum hujus Sacræ Congregationis ad hanc gratiam concedendam, tamen cùm Civitas Carthaginenſis meruerit pro filio habere non ſolum Iſidorum, quod pro ejus gloria ſufficeret, ſed & SS. Leandrum, Fulgentium, & Florentinam, ex Patre Severiano ipſius Civitatis Duce Germanos Fratres. Et cùm hæc Civitas haud ſolùm ſit Capitalis Diœceſis mihi [etſi immerito] commiſſæ, ſed & ipſamet Domus, in qua nati, & educati fuerunt, ſit propria Epiſcoporum in illa Civitate habitatio, ubi ſumma cum reverentia locus, in quo nati fuerunt, conſtructo ibi Oratorio, magno cum ſpirituali incolarum profectu, & in ſuis neceſſitatibus remedio, colitur: Et cùm non ſinè ſpeciali Dei providentia hoc negotium ab hac Sacra Congregatione mihi commiſſum credam: Ex hac antidorali obligatione, qua Epiſcopi Carthaginenſes ſumus affecti erga tam inſignes Sanctos (quorum Fulgentius eſt totius Diœceſis Carthaginenſis, tanquam ejus Epiſcopus, unicus Patronus) ſimul, & devotione ſingulari, qua erga eos fruor: Ex his, inquam, cogor, urgeor, & dulciter feror, non ad qualemcumque poſitionem, etiam eam, quæ pro munere meo rectè adimplendo ſufficeret, ſed ad exponendum huic Sacræ Congregationi, quid quid pro tenuitate mea conducere poſſe exiſtimem pro hoc negotio inſtruendo, meritiſque utriuſque Sancti oſtendendis, inſuper pro alliciendo [ita fateor] & inclinando animum hujus Sac. Congregationis ad has gratias, ſi juſtæ viſæ fuerint, aſſequendas; quandoquidem aliter ingratitudinis argui à præfatis Sanctis poſſem. Inde coactum me video, præter expoſita, & allegata à Scribentibus pro prætenſione V. Capituli Hiſpalenſis [licèt ſufficientiſſima ea exiſtimem], aliqua denuò ſuperaddere; itaque, nonnullis ex allegatis pro parte V. Capituli exceptis, ex omnibus, & ſi aliquantulum præter morem immorer, ſenſum meum fundare, & aperire.

4 Tota difficultas hujus negotii, incipiendo à Sancto Iſidoro, extenſioneque ſui officii ſub Ritu duplici Doctoris, ut in tota Hiſpania celebratur, in eo ſiſtit, quòd ab Eccleſia non eſt uti Doctor declaratus, itaque ut talis ab ea coli non debet. Unde ſatisfacta hac Animadverſione, tota difficultas de medio ſublata judicio meo erit.

5 Verum eſt [ut ait Reverendiſſimus Promotor], quòd Petrus Annatus, natione Gallus, interrogans; *Quinam ſint Doctores Eccleſiæ dicendi?* loco ſupra citato num. primo ait: *Ut quis Doctor Eccleſiæ dici poſſit, requiruntur in eo multo plura, videlicet eminens doctrina, inſignis vitæ Sanctitas ad mortem uſque, & Eccleſiæ declaratio*. Cæterum ultra progrediens, poſteà concluſionem ſtatuit, in qua illa verba, *Eccleſiæ declaratio*, explicat, & modificat. Enim verò ſuam concluſionem ita concipit: *Dico, eos ſolos propriè Doctores Eccleſiæ dicendos eſſe, quos ob eminentem doctrinam, & inſignem Vitæ Sanctitatem, ut tales agnovit, ſive recepit, vel declaravit Eccleſia*. Et infra §. *Probatur* ter-

tertio ampliùs hoc explicat, dum ait; *Ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem, præter eminentem doctrinam, & insignem vitæ Sanctitatem, requiritur Ecclesiæ declaratio, saltem aliqua tacita, vel expressa*.

6 Et tandem, §. vltimo ita sibi objicit: *Si ad constituendum Ecclesiæ Doctorem declaratio requiratur Ecclesiæ, sequitur quatuor dumtaxat Ecclesiæ Doctores esse, videlicet SS. Gregorium Magnum, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum: Hos enim solos, aliorum nulla mentione facta, dignis honoribus venerandos proposuit Bonifacius Octavus in sua Decretali; At qui id dici non potest, cùm plures alios, præter quatuor illos, veneretur Ecclesia Doctores; Ergo ad constituendum Ecclesiæ Doctorem non requiritur Ecclesiæ declaratio.* Verùm objectioni sic respondet. *Dico, Bonifacium VIII. ibi nullum de novo constituere, declarare, aut proponere venerandum Ecclesiæ Doctorem, sed solùm statuere, ordinare, & præcipere, ut per universas Orbis Ecclesias duodecim Apostolorum, Euangelistarum, & quatuor istorum Ecclesiæ Latinæ Doctorum, Gregorii, Augustini, Ambrosii, & Hieronymi, Festa solemniter sub duplici celebrentur Officio; istis autem quatuor antiquis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus egregiis, & non aliis, hos decrevit honores Summus ille Pontifex, quia cæteris notiores erant, eorumque doctrina magis Fidelium omnium usu comprobata; Unde non ideò soli, sed tantùm præcipui Ecclesiæ Doctores dicendi sunt*.

7 Ex quò hæc duo ex mente hujus Authoris deducuntur. Primum, sufficere ad hoc, ut aliquis Sanctus, qui in Doctrina eminens, & vitæ Sanctitate insignis sit, Doctor Ecclesiæ dici valeat, quòd Ecclesia, ut talem eum agnoverit, sive receperit, approbaverit, vel tacitè, vel expresè declaraverit. Secundum, Bonifacium VIII. in sua Decretali non declarasse, in Ecclesia præter illos quatuor Doctores nullum alium esse, ut Doctorem in illa habendum, sed illos quatuor, ut præcipuos inter alios Ecclesiæ Doctores esse tenendos, ut concludit: *Undè non ideo soli, sed tantùm præcipui Ecclesiæ Doctores dicendi sunt*.

8 Et eodem modo procedit Rabaudus in verbis à Reverendissimo D. Promotore allegatis. Etenim ejus verba hæc sunt: *Ad hoc, ut aliquis inter selectos Ecclesiæ Doctores possit recenseri, oportet, quòd ab eadem Ecclesia, puta, ejus Capite visibili, aut à Concilio generali, uti talis receptus fuerit, & approbatus*. In quibus pari modo, ac Annatus procedit. Namque primò, non exigit expressam declarationem, sed quòd *ut talis receptus fuerit, & approbatus*. Secundò, has qualitates solummodò petit ad hoc, ut reputari valeat, tanquam unus ex selectis Ecclesiæ Doctoribus, ibi: *Inter selectos Ecclesiæ Doctores possit recenseri*; quod supponit, alios Ecclesiæ Doctores minus selectos esse.

9 Hoc supposito, cùm in præsentiarum non tractetur de gradu superioritatis S. Isidori, nec curetur de declaratione, & annumeratione inter illos primarios Selectos Ecclesiæ Doctores; quandoquidem pro prætensione præsenti sufficit, quòd de illo tres illas qualitates habere, verificetur, nimirum *eminentem Doctrinam, insignem vitæ Sanctitatem, & quòd ut Doctorem agnovit sive recepit, approbavit, vel declaravit Ecclesia tacitè, vel expresè*; inde apparet, quòd ex mente utriusque Auctoris tanquàm Ecclesiæ Doctor haberi queat. Et quòd de illo illæ tres qualitates verificentur, mihi certum apparet.

10 Nam in primis, quod attinet ad ejus Doctrinam, & Sanctitatem, adeò in utraque eminens fuit, quòd Sanctus Braulio Archiepiscopus Cæsaraugustanus ejus discipulus (quem die 8. Martii colit Ecclesia, ut in Martyrologio Romano habemus) in abbreviatione de ejus vita, quæ extat apud Papebrochium die 4. Aprilis cap.11. hæc de eo scribat: *Isidorus Vir*

Egregius (natione Carthaginensis, à Patre Severiano, Nobilissimo ejusdem Patriæ Duce, genitus) Hispalensis Ecclesiæ Archipræsul, Sanctissimis Episcopis, & Confessoribus Leandro, & Fulgentio, ac Sanctissimæ Florentinæ Virgini Præpositæ Virginum, extitit germanus, & Sancto Leandro Successor Sanctissimus. Vir iste beatissimus à pueritia studiis litterarum traditur, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris instructus, omnium locutionis genere formatus, in trivii eruditione conspicuus, in quatrivii instigatione perfectus, Divinis, & Humanis legibus ad plenum eruditus, suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vita quoque, atque doctrina fuit clarissimus, & meritò à cunctis Hispaniarum Doctor nominatus. Sic namque de virtute in virtutem refulsit Doctor eximius, ut secundùm qualitatem sermonis omnibus, videlicet Latinis, Græcis, & Hebræis Sapientibus, atque incomparabili eloquentia strenuus.

11 Et infra, postquàm miris laudibus omnia ejus scripta, quæ adeò Ecclesiam illustrarunt, & illustrant retulerat, ait: *Tanta debriatione scientiarum claruit prædictus, ut non solùm nostris temporibus, verum etiam à tempore Apostolorum, vel ante [primò homine, & Salomone exceptis] in scientiarum varietate, ut credimus, nemo extitit illi primus.* Et infra: *Fuit præterea spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde severus, in sententia verax, in judicio justus, in prædicatione assiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione Scripturarum multus, in consilio providus, in habitu humilis, in mensa sobrius, in oratione devotus, honestate præclarus, semper pro Ecclesia, ac veritatis defensione mori pronus, & omni bonitate conspicuus. Præterea Pater extitit Clericorum, Doctor, & sustentator Monachorum, ac Monialium; consolator mœrentium, tutamen pupillorum, ac viduarum, levamen oppressorum, defensor civium, attritor superborum, persecutor, & malleus hæreticorum; & quid plura? speculum bonorum omnium factus est mundo, & ideò jam sinè fine regnat cum Christo. Quo vero flumine eloquentiæ, & quibus jaculis divinarum Scripturarum, seu Patrum testimoniis omnium, nefarias hæreses destruxerit, & enervaverit, Synodalia gesta, coram eo Hispali, vel Toleti, acta declarant, in quibus, & Romano Pontifici à Fidelibus, loco Beati Petri Apostoli substituto, debere obediri, & uni Deo in Trinitate Personarum serviri, clarissimis Scripturarum testimoniis approbavit?*

12 Et infra: *Sicut Gregorius Doctor Romæ successit Petro, ita B. Isidorus in Hispaniarum partibus doctrina Jacobo successit Apostolo. Semina namque, quæ Beatissimus Jacobus seminavit, hic Beatissimus Isidorus verbo prædicationis, quasi unus ex quatuor Paradisi fluminibus sufficienter irrigavit, atque universam Hispaniam, tam exemplo boni operis, quàm fama Sanctitatis, velut splendidissimus solis radius illuminavit.*

13 Non minori ponderatione de ejus Sanctitate, & Doctrina, loquitur Sanctus Ildephonsus, ejus pariter Discipulus, tum libro de Viris illustribus, ubi cap.9. de Magistro suo agit, tum etiam in carminibus, quæ Papebrochius tradit Cap.10. ejus vitæ, quos affigi Ildephonsus mandavit ad ejus Sepulchrum; Ex quibus cùm multa sint, unum vel alterum decerpam, quæ in hunc modum se habent?

Gloriam Isidori meritorum memori
Voce sonent Cantici.
Fidus fidem extulit, sive labem expulit
Erroris hæretici.
Natus de Carthagine, nihil ab origine
Puerile sapiens.
Hispali dum præfuit, Primus legem docuit
Hispanus Hispaniam.
In doctrina præmicans, Crucifixum prædicans,
Fugans Idolatriam.
Per fulgorem operum, exemplar fructiferum
Sese Clero tribuit.
Hesperus Hesperiam, lucifer Ecclesiam
Deco-

Decoravit clarius.
Per fines Hispaniæ fontem sapientiæ
Fudit mira faciens.
Quis ad plenum promere posset, vel præscribere
Te gestorum titulis?
Lingua non sufficeret, dextera deficeret
In scribendis singulis.

14 Sufficerent hæc Testimonia; Sed non omittam aliud singulare, quod tradit laudatus Papebrochius ex antiquis manuscriptis Ecclesiæ Toletanæ, quæ Lucæ Tudensis esse credit, quæque tanti habuit, quòd ad literam ea exprimit; in quibus Cap.1. hoc continetur: *Denique in tantum hunc insignivit natura, gratia ditavit, extulere mores, studia provocarunt, ut Platonem ingenio, Aristotelem studio, eloquentia Tullium, copia Calcenterum, eruditione Origenem, gravitate Hieronymum, Augustinum Doctrina, Gregorium sanè prosequatur exemplis. Qui cum eidem Beato Gregorio, jussu Fratris, ac Nutricii sui Leandri, epistolam quamdam de Beatitudine, tam de Philosophorum sententiis, quàm Sanctarum Scripturarum floribus, miro studio decoratam, delegasset, ac B. Gregorius perlegisset eamdem; tam de Sermonum dissertudine, quàm de sententiarum connexione, ac scientiarum exuberatione admirans; eumque in Spiritu qualis futurus erat, intuens, fertur dixisse: Ecce alter Daniel; & quidam alius: Ecce plusquam Salomon hic.*

15 Mitto innumera alia testimonia, quæ ex omni genere Scriptorum, tum antiquorum, tum modernorum omnium Nationum Isidori sanctitatem, & sapientiam, usque ad sydera extollunt. Sed non prætermittam ea, quæ ipsamet Ecclesia in Lectionibus sui Officii, pro Hispania concessi [quæ *in Sum. sub n.* 1. habentur,] circa utramque qualitatem Nobis in comprobationem offert. *Ingentem* (ait) *Doctrinam, Latinè, Græcè, atque Hebraicè, cum magna nominis claritate consequutus: Hic adolescens adhuc, Hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem penè jam pridem invaserat, tam constanter palàm arguebat, ut prope fuerit, ut ab Arianis necaretur*; Ut in prima lectione. *Quantum verò Pontifex factus fuerit constans, & humilis, patiens, & benignus, compatiens miseris, & pauperibus, & cunctis virtutibus insignitus, nullius lingua sufficeret ad narrandum. Scripsit librum Etymologiarum, & Sacri Canonis, libros plurimos commentatus est, & tot, tantaque alia volumina scripsit, ut humana vix vita tantis suffectura laboribus videatur*: ut in secunda. *Fuit denique Isidori tanta Doctrinæ, ac Sanctitatis opinio, ut coacto Concilio ultrò fuerit à Pontifice Maximo vocatus, ubi mirum est quantum ponderis, & authoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & omnes Prælatos*: ut in tertia.

§. II.

16 Quod attinet ad tertiam qualitatem Doctoris, quamquàm ex huc usque dictis satis demonstrata videatur, quia tamen hoc præcipuè desideratur, quòd ut talis Doctor Ecclesiæ sit ab ipsa Ecclesia, vel agnitus, vel receptus, vel approbatus, vel tacitè, vel expresè declaratus, in hoc præsertim immorabimur. Totumque judicio meo verificatum inveniemus in Canone *De libellis 20. dist.*, à Capitulo allegato. Ubi S. Leo IV. Isidorum inter Ecclesiæ Doctores adnumerat in illis verbis: *Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quòd minimè possit per istos* (Canones videlicet) *definiri, tunc illorum, quorum meministis, dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter SS. Doctorum, & similium, si reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, vel promulganda.*

17 Ubi habemus Sanctum Isidorum inter Ecclesiæ Doctores à Sancto Leone fuisse adscriptum: Etenim cum ad

hoc ex doctrina Annati, & Rabaudi sufficeret, si unum saltem ex requisitis sub disjuncto ab eis traditis, illi conveniret; in prædicto Canone omnes simul illi convenire videmus. Namque si sufficit, ut aliquem Sanctum, ut Doctorem Ecclesiæ habeamus, quòd ipsa Ecclesia, ut talem eum agnoscat, ut ait Annatus, ibi: *Ut tales agnoscit*; hic habemus S. Isidorum agnitum, ut Doctorem à S. Leone ejus Capite, quin hoc in dubium verti possit. Si sufficit etiam, quòd sit, ut talis receptus, ut uterque Author ait: *Sive recepit*, ut ait Annatus: *Ut talis receptus*; ut ait Rabaudus: Habemus similiter, quòd à Sancto Leone, ut Doctor recipitur, quando, ut Doctorem illum nobis proponit. Si sufficit, quòd sit approbatus, ut prælaudatus Rabaudus ait: ibi, *& approbatus*; nulla solemnior approbatio exigi potest, quàm quòd Romanus Pontifex totam Ecclesiam doceat, quòd quando contigerit in ea inusitatum aliquod negocium, quod per Canones definiri non valeat, hoc fiat per dicta, seu Testimonia *Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter Sanctorum Doctorum*. Si tandem sufficit, ut ait Annatus, *Declaratio saltem aliqua tacita, vel expressa*, hic utramque habemus. Habemus enim tacitam in eo, quòd ejus Doctrinam, non solùm approbat, sicut, & Hieronymi, & Augustini, sed loco Canonum in horum defectu esse habendam pro dubiis arduis in Ecclesia emergentibus dirimendis, & definiendis, ait, quòd sufficeret. Habemus etiam expressam declarationem: Quando quidem specificè eum inter Doctores Ecclesiæ S. Leo, ut vidimus, enumerat.

18 Cùm ergò juxta prælaudatos AA. quodlibet ex allatis requisitis sufficiat, ut Sancti, qui eminenti Doctrina, & insigni Sanctitate prævaluerunt, uti Doctores Ecclesiæ habeantur; omnibus simul in S. Isidoro ex laudato Canone concurrentibus, haud solùm nihil illi deficit, ut tanquam Doctor Ecclesiæ habeatur, sed & multa supersunt. Itaque Sanctus Prudentius Episcopus Trecensis, seu Tricacensis, natione Gallus, [qui sæculo nono scripsit, tribus annis tantummodo transactis, ut ipsemet fatetur, à dicto canone condito] *in lib. de Prædestinatione contra Joannem Scotum cognomento Erigenam cap.3.*, cujus opus extat *tom.1.* Bibliothecæ veterum Patrum in editione Lugdunensi anni 1677. postquam allegasset quasdam authoritates Sancti Gregorii Magni, & Sancti Isidori in puncto, de quo ibi agit, hæc verba comprobantia hoc idem, quod ex prædicto Canone deduximus profert: *Apostolicæ Sedis Antistitem Gregorium, & ejus sicut Doctrinæ, & Fidei, ita Dignitatis, atque officii socium, beatum videlicet Isidorum Episcopum audias oblatrantem: Verùm si Beati Isidori solius contemnendam duxeris authoritatem, quis te audiat, quis sequatur, nisi mente captus? Cùm eum, ejusque doctrinam in Causa Fidei Catholicis omnibus congruentem, tanta annositate temporum, & probabilem videat, & susceptam, maximè cùm, & hodie Leo Venerabilis Sedis Apostolicæ Antistes missâ ante triennium ad Episcopos Britannorum, qui Galliæ inferioris partes incolunt, super quibusdam quæstionibus suæ responsionis Epistolâ, censuit, ut quidquid in dubium deveniret, atque in Sacris Canonibus minimè inveniri posset, ad Catholicorum Patrum volumina confugiendum, & in eis quicquid esset ambigui requirendum, atque sequendum, quos cùm nominatim exprimeret, Beatum Isidorum cum cæteris eodem honore, & dignitate pariter adnotavit: hujus quoniam doctrina, in causa Fidei ab Apostolica Sede approbata cernitur: quicquid contra garrire molitus es, effetatur, nullis in posterum viribus fulciendum.*

19 Nec locum videtur habere, quod Reverendissimus Promotor, ait, ibi: *Textum loqui de Ecclesiæ Doctoribus non stri-*

ſtricto, ſed lato modo. Quandoquidem æquè de Sancto Iſidoro loquitur Textus, ac de Sancto Auguſtino, & Hieronymo, æquèque ejus ſcripta Eccleſiæ commendat, ac utriuſque Sancti Doctoris, ut per illa difficultates arduæ, quæ in Eccleſia emerſerint, quando deſunt Canones, decidantur, & reſolvantur. Alioquin, nec de Auguſtino, nec de Hieronymo probari poſſet ex hoc Canone eſſe DD. Eccleſiæ. Quando enim dixit Apoſtolus ad Epheſios cap.4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores*. Et prima ad Corinthios cap.12. verſ.28. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores*: De veris, & propriis Doctoribus locutus eſt, quos pro omnibus temporibus Deus in Eccleſia ſua habuit, habet, & ſemper habebit. Unde cùm Sanctus Leo Hieronymum, Auguſtinum, & Iſidorum Doctores nominat, de eiſdem Doctoribus, de quibus Paulus loquitur, venit intelligendus, qui in Eccleſia poſiti ſunt ad eam illuſtrandam, & illuminandam.

20 Nec premere videtur, quòd dictus Reverendiſſimus Promotor in comprobationem hujus animadverſionis ſubjungit: *Declaratio, quòd SS. Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius habendi ſint pro Eccleſiæ Doctoribus, facta fuit à Bonifacio Octavo in Cap. Glorioſus de Reliquiis, & venerat. Sanctor. in 6. Cùmque ceſſante Eccleſiæ declaratione, quis haberi non poſſit pro Eccleſiæ Doctore, clariſſimè infertur, Sanctum Iſidorum in Canone de libellis diſtinct.20. fuiſſe inſignitum nomine Doctoris Eccleſiæ non ſtricto, ſed lato modo loquendo*. Nam ut jam vidimus num.6., Bonifacius VIII. illos non fecit Doctores, nec ut tales eſſe tenendos declaravit; ſed cùm jam in Eccleſia, ut tales inter alios habiti eſſent, & recepti, eos ita ſupponens, uti primarios inter omnes voluit in tota Eccleſia ritu duplici celebrari, unà cum XII. Apoſtolis, & quatuor Euangeliſtis, ut conſtat ex ipſa decretali Bonifacii, in qua, ultraquamquòd nec ullum verbum de declaratione contineatur, ut optimè obſervavit Annatus (ubi ſupra dicto n.6.), expreſsè hoc in ipſa Decretali habetur; quandoquidem in illa ſatis diſertè exprimit, quòd uti primarios, & egregios inter omnes vult hoc honore ritus duplicis inſigniri; Itaque ait: *Egregios quoque ipſius Doctores Eccleſiæ &c. ſpecialibus diſponit honoribus venerari*; Unde quia *Egregii* inter omnes Doctores erant, hunc ſpecialem honorem, & cultum illis conceſſit. Itaque *Gloſſa littera B.* ait: *Solus Papa habet non ſolùm certos de Sanctis præ aliis extollere, ſed etiam eos canonizare*.

21 Alioquin verificaretur, quod uſque ad Bonif. VIII. nec Auguſtinus, nec Hilarius, nec Ambroſius, nec Athanaſius, nec Baſilius, nec uterque Gregorius, nec ulli alii in Eccleſia Dei habebantur, ut illius Doctores; Cùm tamen in Oecumenica quinta Synodo, ut tales laudentur, ibi: *Super hæc ſequimur per omnia SS. Patres, & Doctores Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum &c.*, quæ verba ſibi objicit, & ſi ad alium finem, Annatus dicto *lib.4. art.1.*, ubi de Doctoribus agit.

22 Nec pariter locum habere videtur argumentum, quòd prælaudatus Reverendiſſimus Promotor in horum omnium confirmationem adducit ex Hiſtoriâ relatâ à Mariana, cui conteſtatur Papebrochius in Vita S. Iſidori initio §.3. (& eſt deſumpta ex Chronic. Epiſcopi Guenſis in Polonia, qui cùm Pœnitentiarius Innocentii IV. fuiſſet, teſtatur, & firmat id ipſum, quod Reverendiſſimus Promotor allegat;) quòd cùm Bonifacius deliberaret de ſua Decretali condenda, dubium fuit excitatum, ſi Sanctus Iſi-

dorus esset Sancto Ambrosio præferendus, vel saltem in dicta Decretali etiam comprehendendus; Ex quo hæc infert: *Cumque, nec Sanctus Isidorus fuerit tunc prælatus Sancto Ambrosio, nec fuerit tunc aliis quatuor Ecclesiæ Doctoribus superadditus, binæ hinc inferuntur consequentiæ; altera est, quòd de S. Isidoro dici nequit, quòd fuerit consequutus nomen, & gradum Doctoris Ecclesiæ à Leone IV. in citato Canone de Libellis dist.20. altera est, quòd rigorosè loquendo, Sanctus ille dici nequit Doctor Ecclesiæ*. Nam judicio meo non probat assumptum, imò potiùs videtur ex hac historia deduci valere oppositum.

23 Quod mihi videtur suaptè natura ex hac historia inferri est, Bonifacium VIII. uti digniores, & inter DD. omnes Egregios, Gregorium, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum, habuisse, & existimasse, vel etiam uti antiquiores, ideoque ad cultum officii duplicis illos, ut tales prælegisse, utendo sua potestate, quæ est, *certos de Sanctis præ aliis extollere*, ut ait Glossa: Vel etiam infertur, in illa Decretali S. Isidorum illis quatuor non addidisse; tum propter correspondentiam numeri quaterni cum quaterno Euangelistarum; Tum etiam, quia in Ecclesia erant alii insignes Doctores, ut ex Latinis S. Hilarius (de quo Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ait: *In Ecclesiastica Doctrina ita profecit, ut Doctor Maximus, Ecclesiæ Catholicæ Columna merito habitus sit*], Cyprianus, Irenæus, Prosper, Anselmus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, & alii; & ex Græcis S. Athanasius, Basilius, Chrysostomus, uterque Gregorius, Cyrillus, & alii à quinta Oecumenica Synodo supra nominati. Unde si S. Isidorum addidisset, opus erat, ut etiam alios non inferiores ex allatis adderet. Cùm ergo Bonifacius solùm curaret de designandis quatuor Sanctis Doctoribus, qui uti primarii quatuor Euangelistis corresponderent, ac æquales in Ritu essent, uti Egregios [ut ait] sic illos quatuor præ omnibus elegit. Unde sicut ex prædicta Decretali non infertur, Ecclesiam pro Doctoribus non habuisse hos laudatos Sanctos, neque ut tales apud illam fuisse tunc receptos, ita similiter non infertur, S. Isidorum pro Doctore Ecclesiæ non habuisse, ex hoc quòd in Decretali non nominasset. Et cùm aliunde in dicto Canone *de Libellis* nominatim Isidori mentio fiat, cùm de reliquis omnibus allatis DD. solummodò in confuso veniat facta, potiùs ex hoc sequi videtur, apud S. Leonem, ut præcipuum inter omissos habitum fuisse.

24 Et quòd ex laudata Decretali non inferatur, ut Reverendissimus Promotor prætendit, non alios, ut DD. Ecclesiæ esse habendos, nisi Gregorium, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum in ea nominatos, patet. Nam præter omnia supradicta, postmodum ab Ecclesia Sanctis Hilario, & Anselmo Officium Doctoris pro universa Ecclesia fuit concessum; Sicut & Sanctis Joanni Chrysostomo Athanasio, Basilio, & Gregorio Nazianzeno idem officium concessum fuit à S. Pio V., cùm antea nonnisi Officio simplici gauderent, ut tradit Gavantus in Commentario *ad rubr.7. Breviarii section.7. cap.7. de Festis SS.*: quæ omnes concessiones fuerunt factæ, quin præcesserit ulla Ecclesiæ declaratio. Ex quo infertur, quòd in Ecclesia, ut tales Doctores erant habiti, & ut tales recepti, quòd negari haud potest, ex sola Conciliorum generalium lectura, quæ ut Doctores, Patres, & Magistros eos venerabantur (ut supra). Et similiter concessit Ecclesia Officium Apostolorum S. Barnabæ, & si extra numerum Apostolorum, qui in Decretali, & Glossa continentur, sit.

25 Ex quibus omnibus duo hæc inferri in favo-

favorem prætensionis videntur. Primum, non obstare Decreto Bonifacii VIII. concessiones Officii Doctoris aliis extra quatuor Doctores in Decretali nominatis: Quandoquidem ex hoc non minuitur eorum supra omnes alios Doctores excellentia, ut patet ex praxi, & sensu Ecclesiæ, quæ semper habet uti Primarios Ecclesiæ DD. Gregorium, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum, quibus postea Angelicus Præceptor S. Thomas, & S. Bonaventura à S. Pio V., & Sixto V. illis adjuncti fuerunt: sicut ex eo quod Ecclesia Officium Apostolorum concesserit S. Barnabæ, & si nec inter 12. Apostolos numeretur, nec de eo mentio ulla in Bonifacii Decretali fiat, nec in Glossa, ubi omnes numerantur, non infertur minui excellentiam, & superioritatem, quam 12. Apostoli super illum habent; Unde quod Isidoro pro tota Ecclesia concedatur Officium Doctoris, nihil officit Decretali, nec superioritati reliquorum Doctorum.

26 Itaque in Concilio Provinciali Compostellano Salmanticæ celebrato anno 1335., triginta, & quinque annis tantummodo transactis à Decretali Bonifacii [quod extat tom.7. Conciliorum editionis Regiæ Parisiensis fol.1964.] cap.6., juxta morem illorum temporum hoc editum fuit decretum: *Alma Mater Ecclesia, Gloriosissimi Domini Nostri Jesu Christi in suis Sanctis, & in majestate admirabili Sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili Egregios Doctores quatuor duxit venerabiliter honorandos, & eorum festivitates sub Officio duplici per universas Orbis Ecclesias celebrandas. Nos igitur ejusdem Matris vestigiis inhærentes, attendentes, quod Egregius Doctor Beatus Isidorus de Hispania oriundus, & Hispalensis Archiepiscopus, ipsam Matrem Ecclesiam multipliciter suis Sacris Scripturis, & eloquiis decoravit, & quod ejus Sacrum Corpus in partibus Hispaniæ, scilicet in Civitate Legionis reconditum observatur, per cujus merita totam Hispaniam, specialiter terras Domini Regis Castellæ, & Legionis, credimus multifarie liberari, statuimus, & ordinamus, ut festivitas ipsius Beati Isidori Confessoris, & Doctoris per universas Ecclesias nostræ Provinciæ annis singulis perpetuis futuris temporibus similiter celebretur.* Ex quo apparet, Patres illius Concilii in eodem sensu fuisse; nimirum per illam Decretalem non excludi, alios ut Ecclesiæ Doctores haberi, nec quòd eodem gaudere possint honore, ritu, & officio.

27 Secundum quod inferri videtur, est, quòd si Sancto Hilario, & Anselmo ex Latinis, & S. Athanasio, Basilio, Chrysostomo, & Gregorio Nazianzeno ex Græcis concessus fuit hic honor, & specialis cultus Officii Doctorum pro tota Ecclesia, quin pro se ullus ex illis habeat similem authenticam declarationem illi, quam Isidorus, ejusque opera, in Canone *de Libellis* habet; potiori titulo concedi posset Sancto Isidoro illam pro se habenti, in quo canone S. Leo eum & Doctorem Ecclesiæ appellat, & ejus doctrinam, sicut, & Augustini, & Hieronymi, tanquam regulam defectu Canonum illi commendat; Quandoquidem hoc videtur clarissimum signum prælectionis inter cæteros, quos expresè non nominavit.

28 Quo argumentandi genere utitur in prælaudata Decretali Bonifacius. Ait enim, quòd sicut Deus, *etsi cunctos ejus Ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cælestis efficiat Beatitudinis possessores, illos tamen [ut dignis digna rependat] potioribus attollit insigniis Dignitatum, & præmiorum, uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum: Sic & Alma Mater Ecclesia ejus Sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili, licèt universos in Regnis Cælestibus constitutos studiis honorare solicitis, & sonoris efferre præconiis non desistat*

ſtat, glorioſiſſimos tamen &c. Et ex hoc progreditur ad conceſſionem Officii pro illis quatuor Doctoribus præ cæteris, quia cæteris majores meritò eos exiſtimavit. Unde ſi Leo, ut dicebamus, à Deo inſtinctus in ſua Decretali Iſidorum præ Hilario, Anſelmo, & aliis omiſſis elegit, eum, ejuſque opera nominatim Eccleſiæ commendavit, dignum apparet; ut ſaltem æquali honore, quo præfatos SS. DD. Hilarium, & Anſelmum, & reliquos Patres Græcos Eccleſia proſequuta fuit, & illum proſequatur.

§. III.

29 SEcundò alio ex capite demonſtrari etiam poteſt S. Iſidorum, ut Doctorem Eccleſiæ ab ipſa Eccleſia agnitum, receptum, approbatum, & declaratum eſſe, etiam independenter à Canone *de Libellis*. Etenim cùm non aliud exigatur, ut ex Rabaud diximus num.7., ad hanc declarationem, *quàm quòd ab eadem Eccleſia, puta ejus capite viſibili, aut Concilio generali, ut talis receptus fuerit, & approbatus*: demonſtrato, ab aliquo ex Romanis Pontificibus præter Leonem IV. eſſe receptum, & approbatum, ut Eccleſiæ Doctorem, apparebit, quòd independenter ab illo Canone Iſidorum, ut Eccleſiæ Doctorem habere poſſimus, & debeamus. Quòd ergo ita ſe habeat, patet. Nam Gregorius XIII. in Motu proprio (qui in Summario extat n.1.), quo approbavit officia Sanctorum Regni Hiſpaniæ, S. Iſidoro hoc conceſſit officium, ibi: *Item Feſtivitas S. Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Miſſæ*. Et infra: *Conceſſa pro Hiſpaniarum Provinciis, volumus, ut intelligantur etiam conceſſa Eccleſiis Inſularum, & Terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico ſubjectarum*. Ex quo claret Iſidorum, ut Eccleſiæ Doctorem eſſe habendum; quando quidem ab Eccleſiæ viſibili Capite, ut talem videmus receptum, & approbatum. Namque ſi ut Doctorem Eccleſiæ non haberet, illi officium, quod pro Doctoribus Eccleſiæ in Breviario habetur, non concederet.

30 Nec obſtare videtur, ſi forſan dicatur, ex conceſſione Officii Doctoris pro Hiſpania ſolummodo probari, declaratum fuiſſe Hiſpaniarum, ſed non totius Eccleſiæ Doctorem: nam reſponderi poterat, quòd & ſi de aliquo Sancto, qui nunquàm ſcripſiſſet, nec ſuis operibus Eccleſiam illuſtraſſet, ſed ſolummodo aliquod Regnum ſua ſingulari doctrina, & prædicatione illuminaſſet, illudve ab erroribus hereſis, vel Idololatriæ purgaſſet, quin fructus ſuæ doctrinæ ad totam Eccleſiam ſe extendiſſet, poſſet hoc reſponſum tolerari; aliter tamen de Sancto Iſidoro, qui ſua doctrina, & ſcriptis totam Eccleſiam illuminavit, ut conſtat ex hucuſque dictis, & præſertim ex ſuiſmet lectionibus.

31 Sed reſponſum genuinum judicio meo eſt; Quòd quemadmodum Sanctis Canonizatis, vel Beatificatis ſolet concedi Officium pro illis partibus, in quibus in virtutibus reſplenduerunt, vel ubi nati fuerunt, quin ex hoc inferatur, quòd in tota Eccleſia non poſſint, uti Sancti, vel Beati haberi, & inter reliquos Sanctos Eccleſiæ numerari, & pro illis Officium in tota Eccleſia recitandum, ſi Sanctæ Sedi placet, concedi; Sic aliquibus Sanctis Doctoribus Eccleſia ſolet concedere officium Doctorum pro illis Regnis, vel Provinciis, in quibus plus laborarunt, quaſque ſua Doctrina, & ſcriptis ſpecialius illuminarunt, & ab hæreſibus purgarunt, quin ex hoc inferri poſſit, quòd in tota Eccleſia uti illius Doctores, haberi non poſſint, & inter reliquos Sanctos Doctores numerari, & eorum officium ſi Sanctæ Sedi placet, toti Eccleſiæ extendi, quan-

quando aliundè constat, quòd etiam pro tota Ecclesia laborarunt, suisque scriptis illam illustrarunt, licèt specialius in proprio Regno emicuerint; præsertim quandò, quod in uno Regno, vel parte Ecclesiæ meruerunt, & laborarunt, etiam in bonum totius Ecclesiæ cedit, licèt, quia ibi specialiter irradiarunt, magisque agniti sunt, majorique devotione coluntur, illum specialem titulum, vel honorem pro tota Ecclesia ibi meritum, ibidem specialius significari, & celebrari, ipsa Ecclesia prætendat, & velit.

32 Et hoc est, quod accidit in Sancto Isidoro, itaut nunquam excogitare fas sit, ex eo illi pro Hispaniis tantum concessum fuisse Officium Doctoris, quia meritus majorem extensionem non erat; quandoquidem tam benemeritus totius Ecclesiæ semper fuit, & est, tantique ejus doctrina, & scripta apud eam habita, quanti apparet ex Testimoniis S. Braulionis, S. Ildephonsi, S.Gregorii, S.Prudentii, Concilii Compostellani, & omnium Scriptorum antiquorum, & modernorum, & ipsiusmet Ecclesiæ in suis lectionibus.

33 Et ultra hæc, & alia quam plurima, hoc ipsum demonstrantia, habemus etiam alia Testimonia, in quibus magis clarescet mentem Gregorii XIII. non fuisse, quòd ut Doctor Hispaniarum tantummodò coleretur. Quomodo enim ex mente Gregorii hoc credi valet, quando & si Canon *de Libellis* habesset, editum ejusdem Gregorii jussu fuit Decretum Gratiani tot Canones ex operibus Sancti Isidori continens, quos ut regulas una cum reliquis ab omni Ecclesia sequendas exponit? Ex solo enim Concilio Toletano IV. Pręsidente Sancto Isidoro, assistentibus in eo 70. circiter Episcopis Hispanis, & Gallis [& in omnibus sententiam Isidori sequentibus] triginta, & sex Canones fuerunt excerpti, ut in Decreto insererentur, ut ad oram ipsius Concilii legimus citatos [ut videre est in collectione Eminentissimi Cardinalis de Aguirre tom.2. pagin. 477.], & ex Concilio Hispalensi 2. cui similiter Sanctus Isidorus præfuit, habemus alios multos ad marginem pariter notatos [in eodem tom. pag. 462.]. Habemus etiam, quòd Gregorius IX. in suis Decretalibus sæpè sententiis Isidori utitur. Et Innocentius III. in cap. *ad hæc de Officio Archidiaconi* ex sententia S. Isidori causam definivit, ibi: *Archidiaconus secundùm statuta Beati Isidori &c.* Ubi observandum est, *statuta* vocare Isidori Testimonia. Et etiam multa ex capitibus Decretalium sunt ad literam ex S. Isidoro desumpta, ut videri potest in Cap. *Puberes de desponsat.impuberum*, & in Cap. *Quamvis*, & in Cap. *Forus*, & in Cap. *Pactum*, & in Cap. *Jus dictum, de verborum significatione*, quæ omnia desumpta sunt ad literam ex Sancto Isidoro, ut ex ipsorum Epigraphis patet.

34 Deinde habemus, quòd in Concilio Toletano VIIII. celebrato 17. annis post Isidori dormitionem, ubi 52. Episcopi, & 12. Abbates assiderunt, quos inter S. Ildephonsus, cùm in eo Patres Cap.2. in comprobationem ejusdem Decreti attulissent varia Sacræ Scripturæ Testimonia, & authoritates Ambrosii, Augustini, & Magni Gregorii; afferendo testimonium Isidori, in hoc præconium illum ad Cœlum elevantes proruperunt: *Nostri quoque Sæculi Doctor Egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum Decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, & quod majus est, in sæculorum fine doctissimus, atque cum reverentia nominandus Isidorus, in libro Sententiarum secundo, hæc pro tali narrat negotio.* Et recitato Testimonio, postea prosequuntur. *Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; quod incautè vovisti non facies, impia est promissio, quæ scelere adim-*

adimpletur. Et concludunt: *Hæc de ſacris paginis, authoribuſque præcipuis breviſſimè ſufficiat prælibaſſe*. Ubi poſt tot præconia, inter præcipuos Eccleſiæ Patres,& Eccleſiæ Doctores,Iſidorum (& quidem recenti adhuc obitu ejus) collocant, & tot magnificis titulis honorant.

35 Habemus etiam Concilium Toletanum XV. ubi Præſide S. Juliano Archiepiſcopo Toletano titulo Egregii Doctoris Iſidorus laudatur, ibi: *Sequentes ſententiam Doctoris Egregii Hiſpalenſis Sedis Epiſcopi*, quo eodem titulo antea Auguſtinum laudaverat: ibi: *Sequentes Doctoris egregii Auguſtini ſententiam*.

36 Habemus S. Braulionem ejus Diſcipulum in ſupra laudata Abbreviatione apud Papebrochium Cap.11., qui non ſolùm Doctorem eximium eum appellat: ibi: *Sic namque de virtute in virtutem proficiens refulſit Doctor eximius &c.* Sed etiam Magno Gregorio hac ſingulari ponderatione æquiparat, ibi: *Sicut Gregorius Doctor Romæ ſucceſſit Petro, ita Beatus Iſidorus in Hiſpaniarum partibus doctrina Jacobo ſucceſſit Apoſtolo*.

37 Habemus S. Ildephonſum, qui poſt Iſidori mortem ad ejus ſepulchrum, ubi inter Sanctos Leandrum, & Florentinam jacebat, in Cruce argentea eorum geſta depingi fecit, & carminibus jam afferendis devotiſſimè proclamari, ut tradit ex laudatis manuſcriptis Toletanis Papebrochius cap.10. ejus vitæ, ibi: *Beatus Ildephonſus, Archipræſul Toletanus, inclytæ Sanctitatis, qui de pectore Magiſtri Doctrinæ latices hauſerat puriſſimos, ad Magiſtri decorem in parte Eccleſiæ, qua Sancti Doctores* [Iſidorus, & Leander] *quieſcebant, eorum geſta miro fecit opere depingi, & in Cruce argentea, quæ Sanctorum ſuperjacebat monumentis hoc carmen ſignificavit*. In quibus carminibus eum Doctorem Eccleſiæ appellat, ut in ſequentibus decerptis patebit.

Orthodoxus Arium, Dirum Adverſarium
Rationis calculo
Confundit hic Malleus; ceſſit hoſtis felleus
Victus in propatulo.
Iberi devotio Cleri, pleno gaudio
Colat Patrem Patriæ;
Contemplando Dogmata Coſmi laudent Climata
Doctorem Eccleſiæ.

38 Habemus Lucam Tudenſem, qui *adverſus Albigenſes lib.2. cap.4.* hæc de S. Iſidoro ait: *Quamvis hæc duo magna Cœli luminaria (Gregorius, & Iſidorus) eſſent ſpatiis Terrarum ſejuncti, tamen in unitate Sancti Spiritus adunati, eadem uterque ſententia redolebat, ut in ore Sanctiſſimorum duorum Teſtium veritatis teſtimonia firmarentur. Fateamur ergo eorum ſcripturas per Sanctum Spiritum concordes, ut dictum eſt, & non ex ſuffragiis mendicatis tam inſignes Eccleſiæ Dei Philoſophos concordare*.

39 Habemus laudata manuſcripta Toletana, quæ aliud ſingulare teſtimonium cap.10. nobis offerunt, fortè deſumptum ex Redempto Diacono S. Iſidori diſcipulo, ut colligitur ex eo quod Papebrochius §.2. Vitæ Sancti Doctoris tradit. In dicto enim Capite hoc legimus: *Sed perfectiſſimi viri quid miracula notem, quid virtutes magnificem, quid ſcientiam prædicem, quid Doctrinam commendem, quid mores extollam? nam in Apoſtolico viro, imò poſt Apoſtolos Chriſti Apoſtolo, virtutum conſonantiam quid quæras? cùm in eo prudentiam Noe, fortitudinem Abrahæ, temperantiam Iſaac, juſtitiam Jacob, patientiam Job evidenti ratione conſpicias. Quid doctrinæ præferas gratiam? in quo Doctoris gentium veritatem exuberare, diſciplinam Spiritu fervere, zelum, ſcientiam abundare reperies*. Quæ major laus de Iſidoro, quàm hæc cum Doctore Gentium comparatio, dici valet?

40 Habemus, quòd apud Nationem Gallicam

licam tanti habentur Opera S.Isidori, quòd ultra testimonium allegatum S. Prudentii, in quo Isidorum Sancto Gregorio Magno æquat, & de ejus scriptis ait, quod num.17. exprimitur; in Concilio Aquisgranensi celebrato anno 816. sub Ludovico Pio, tot testimonia S. Isidori inserta fuerunt, quòd magna ex parte ex eis conflari videatur, ut ex ipsomet apparet; & in aliis pluribus celebratis tempore Caroli Magni, & ejusdem Ludovici invenitur etiam pluries laudatus: Nec his temporibus ea summa Gallorum laus illi deest, ut apparet in supra laudato Petro Annato, qui eodem lib.4. art.2. inquirens. *Qui sint Ecclesiæ Patres dicendi*? afferens artic. 39. Sanctum Isidorum, ita de eo loquitur: *Sanctus Isidorus Hispaniensis Ecclesiæ Sydus, Doctor, & Decus &c.*

41 Tandem (alia quamplurima omittendo testimonia, quæ ex Scriptoribus Hispanis antiquis, & modernis possent afferri) habemus Testimonium illud, quod ponderationes omnium excedit, nimirùm Magni Gregorii, qui de Isidoro, quando ad ejus manus liber de Beatitudine à Sancto Doctore ipsi dicatus pervenit, hæc verba protulisse fertur: *Ecce alter Daniel. ecce plusquam Salomon hic*, ut supra num.14. Et quod tanti ejus Doctrinam, & Sanctitatem haberet, quòd ad hanc Almam Urbem eum vocaverit, ut Concilio Romæ celebrando assideret, ut ex ejus lectionibus pro Hispania concessis supra vidimus num.14., ubi & legimus quanti habita fuerit in illo Concilio ejus sententia, ibi: *Mirum est, quantum ponderis, & authoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & ejus Prælatos*: Ut in 3. lectione.

42 Quam historiam præcitata manuscripta à Papebrochio laudata cap.5. ita accidisse enarrant: *Denique quæ Civitas, quæ solitudo, quæ Marka, quæ hujus Doctoris non senserit beneficia? Peragrans itaque Dei servus Fidelium mentes Verbi Dei pabulo reficiendo, pauperes Christi in eleemosynis recreando, hæreticorum Dogmata solicitè persequendo, in universis Hispaniarum Provinciis ad inclytam pervenit Romanam Urbem, Summo Pontifice* [Gregorio nimirum] *id humiliter postulante, qui quanto honore, & reverentia à Romano Antistite, & Cardinalibus fuerit receptus, non est nostræ differere valetudinis, sed ex officiis, & dilectionis obtemperantiis erga eum exhibitis, per facilè lector conjicere potest. Onere namque totius Curiæ sibi imposito omnes se, ei quasi Patri pio, salva Apostolica excellentia, offerebant benignè, ut etiam si liberet, gerere nobilissimi famulorum vices, supplerent, & humilitate, qua poterant, ministrarent; dignum ducentes prudentissimi viri, ut quia pro fide Catholica, & Ecclesiæ Romanæ honore ipsum despectis tormentis Principum, morti exposuerat, & multis Scripturarum sententiis Matrem Ecclesiarum omnium comprobaverat, ab eisdem Romanis condigno veneraretur honore. Placuit etiam cunctis, ut Ecclesiæ Prælati ad Sanctam Synodum convenirent, ut si quid inhonestum reperiretur, aut ambiguum, cum eodem Sanctissimo corrigeretur Isidoro; quem summo desiderio in Romana Curia ad sui decorem detinuissent, nisi in Ecclesiæ detrimento ipso insinuante, hoc cesurum agnoscerent. Dimissa itaque Synodo, quidquid voluit in Romana Curia ordinavit, & omnibus affectis mœrore dimissis, cum maximo honore, & Apostolicis muneribus, in Hispaniam regressus est.*

43 Et in Prologo hujus vitæ, hæc etiam relativè ad hunc casum continentur: *Gregorium revera in Beatissimi Apostolorum Principis loci simul, & meriti, principatu universi Orbis præfecit auctoritas; Isidorum autem Romanæ censura Curiæ alterum profiteri Gregorium, meritorum effecit parilitas. Et quidem singula, quæ non tantum cursu naturæ, verùm etiam ea, quæ Divina providentia miraculosa senescenti mundo, per eum mirabiliter ad illuminationem Ecclesiæ dignata est operari &c.* Cui hi-

historiæ, etsi non desint, qui de illa dubitent Papebrochius consentit in notis *ad hoc caput* 5. *litera D.*, & etiam eam confirmat Antonius Casalis Cælestinus, Author Bononiensis *in descriptione Basilicæ illius Civitatis, qui pagina* 370., postquàm multa dixerat de Isidoro, ait, quòd cùm S. Doctor rediret è Roma, Bononiam petens, ibi gravi infirmitate detentus, obiit in Domino. In quò licèt omninò erret, cùm S. Doctor Hispali indubitanter obiisset, tamen historiam adventus confirmat. Et pariter, licèt sub eadem fallentia, eam confirmant Carolus Sigonius, Leander Albertus, Donatus Pullienus, Cherubinus Chirardacius, Celsius Faloneus, Antonius Masinus, & alii Itali, quos omnes quoad hanc circumstantiam mortis refutat laudatus Papebrochius initio hujus vitæ §.2.

§. IV.

44 EX quibus omnibus apparet, concessionem Officii Doctoris cum Credo pro S. Isidoro à Romano Pontifice Gregorio XIII. factam pro tota Hispania, & pro Insulis Regi Catholico subjectis, & pro tota America [ut supra n.30.], non eo fuisse, quia uti Hispaniarum Doctorem eum tantummodò habebat, sed quia inter Ecclesiæ Doctores collocatum ex omnibus allatis eum reputabat, ut Ecclesia semper eum, ut constat ex hucusque dictis, reputavit: Quin judicio meo dubitari valeat, quòd sicut pro Hispania (ubi de S. Isidoro recitabatur) hoc Officium concessit, & approbavit, etiam pro tota Ecclesia, si de eo in ea recitaretur, idem Officium concessisset, & approbasset; quandoquidem Motu proprio ad nullius supplicationem illud concessit, ut ex ejus litera apparet. Unde si Serenissimus Rex Catholicus petiisset à Sancta Sede, ut Officium ad totam Ecclesiam extenderetur, proculdubio fuisset ab ipsomet Gregorio concessum. Cùm ergo supplicatio Regis Catholici ad hoc non se extendisset; imò nec ad Officium Doctoris pro Hispania, nec pro suis Dominiis, sed tantummodò fuisset facta ratione difficultatum, quæ occasione Missalis, & Breviarii editi à à S.Pio V. ortæ in illo Regno fuerunt (ut patet ex ipso Motu proprio, ubi relatio de supplicatione fit); nihil mirum, quòd concessio, & approbatio solummodò Hispanias respexisset.

45 Unde, cùm hodie Serenissimus Rex Catholicus coadjuvando prætensionem Reverendissimi D. Archiepiscopi Hispalensis, & ejus Venerabilis Capituli, & Senatus illius Civitatis, ac Ecclesiarum omnium Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Senatuum ejusdem Regni, à Sanctissimo D. Nostro enixè efflagitet pro hac gratia, extensionis Officii S. Isidori pro Hispania concessi, ad totam Ecclesiam sub ritu duplici, exemplo tot similium gratiarum præteritis annis pro aliis Sanctis concessarum: Et cùm non aliud Caput huic extensioni objiciatur à R. Promotore Fidei, nisi, quòd pro Doctore Ecclesiæ non est habitus; satisfacta hac animadversione, ut plenissimè satisfactam manere credo: Judicio meo, independenter ab speciali obligatione, quæ tot justis titulis me inclinare poterat, ob supra initio dicta, non apparet ratio, ut hæc extensio denegari ullo modo valeat.

46 Itaque quoad eam sensus meus est, S. Isidorum Archiepiscopum Hispalensem mereri, quòd S. Congregatio supplicationi annuat, & *Officium Doctoris illi pro Hispania concessum sub ritu duplici, sub eodem ad totam Ecclesiam extendendum venire declaret*. Quandoquidem Ecclesiasticus ad hoc nos excitat *Cap.*44. *vers.*1. dicens: *Laudemus viros Gloriosos &c.* Et infra vers.15. *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia*.

47 Quoad

47 Quoad secundam verò prætensionis partem, nimirùm quòd in Hispania celebretur sub ritu secundæ Classis, cum Octava, aliter ex parte sentio. Nam cùm duas gratias hæc petitio contineat, quarum altera est, quòd in Hispaniæ Regnis celebretur officium S. Isidori sub ritu secundæ Classis: altera vero, quòd celebretur cum Octava. Quod attinet ad hanc secundam denegari mihi posse videtur, tum ob rationes à Reverendissimo Promotore allatas: tum etiam, quia raró posset Octava componi cum festis eo tempore occurrentibus. Quod attinet ad primam, nullam difficultatem invenio, ut concedi possit, & valeat. Itaque sentio, hanc Sacram Congregationem annuere posse, *ut Officium S. Isidori in Hispaniarum Regnis, Dominiis adjacentibus, & America sub ritu secundæ Classis celebrari queat.*

48 Quas duas concessiones, pro D. Isidoro dignas S. Braulio satis claré proclamat loco citato, dicens: *Intereà fratres charissimi, dignum est, ut hunc Sanctissimum Confessorem Isidorum, omnis laudibus attollat Ecclesia, sed maximè Hispaniarum, quæ præ cæteris specialiùs ejus saluberrimâ refulsit Doctrinâ.* Ubi majorem cultum, pro Hispania exigit.

49 Et ad utramque concessionem multum juvare debet, & inclinare animum hujus S. Congreg., quod S. Isidorus non solùm Ecclesiam suis scriptis illustravit, nec solum in hæresi Ariana pœnitus ab Hispania eliminanda ab adolescentia laboravit (ut in suis lectionibus habemus) nec solùm in Doctrina Mysterii Beatissimæ Trinitatis in illis Regnis firmanda, & in Acephalorum hæresi suo tempore orta extinguenda, ut habemus in Concil. IV. Toletano, & in II. Hispalensi, nec solùm in disciplina Christiana Ecclesiastica, & Regulari in illis Regnis instauranda insudavit: sed etiam totam Hispaniam, cunctamque Ecclesiam edocuit de infallibili Romanorum Pontificum authoritate, deque obedientia eis, eorũque decretis debita, uti apparet in Epistola Eugenio Archiep. Toletano directa, quæ in ejus operibus impressionis Coloniæ Agripinæ ann. 1617. extat fol. 488. ubi illi sic ait: *Quod verò de parilitate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Domino audire meruit, tu vocaberis Cephas, tu es Petrus &c. Et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit: Cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est, Pasce Agnos meos; Agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans, cujus Dignitas potestatis, & si ad omnes Catholicos Episcopos est transfusa; specialiùs tamen Romano Antistiti singulari quodam privilegio, velut capiti cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus, Acephalorum Schismati se reddit obnoxium: sicut illud S. Athanasii de Fide Sanctæ Trinitatis Sancta Ecclesia approbat, & custodit quasi Fidei Catholicæ articulum, quòd nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

50 Et similiter in Epistola ad Claudium Ducem missa, quæ ibidem fol. 487. extat, ubi sic illi ad quædam quæsita respondet: *Te quidem me piis urgente petitionibus, tuis inquisitionibus respondere lætor in Domino; quia ea, quæ sunt de Fide Catholica, solicitè perquiris. Ad id ergo, quod objecisti, primò prætermissis plurimis rationibus, tibi rationabiliter, ac simpliciter respondemus: Sic nos scimus præesse Ecclesiæ Christi, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter, & devotè, tanquam Dei Vicario, præ cæteris Ecclesiæ Prælatis, specialius nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem tamquam hæreticum à consortio Fidelium omninò decernimus alienum. Hoc verò non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritus Sancti habemus firmum, ratumque credimus, & tenemus.*

51 Et

51 Et in alia Epistola ad Redemptum Diaconum ejus discipulum, quæ extat fol.488. in fine, ait: *Diligenter per omnia inspice, & reperies Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudines à divinis auctoritatibus in nullo aliquatenùs deviare. Pro me ad Dominum orare quæso digneris.* De quibus omnibus satis testatur S. Braulio, qui in laudata abbreviatione ejus vitæ ait: *Quo vero flumine eloquentiæ, & quibus jaculis divinarum Scripturarum, seu Patrum testimoniis omnium nefarias hęreses destruxerit, & evanuerit, Synodalia gesta coram eo Hispali, & Toleti acta declarant, in quibus, & Romano Pontifici à Fidelibus loco Beati Petri Apostoli substituto, debere obediri, & uni Deo in Trinitate Personarum serviri, clarissimis Scripturarum testimoniis approbavit.* Quæ omnia etiam in prælaudatis manuscriptis inveniuntur cõtestata, & in Concilio Toletano quarto satis manifesta. Cùm ergo in *cap.6.* hujus celeberrimi Concilii dubium excitaretur de Baptismo, si per unam, vel trinam immersionem fieri deberet, in hæc Isidorus prorupit: *Quid à nobis in hac Sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicæ Sedis informemur præceptis; non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes Italiæ illustravit, sed & longè existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante Sanctissimo Leandro Episcopo, de hac Hispaniæ diversitate. Quid potiùs esset exequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait &c.* Et similiter *cap.17.* definitum fuit librum Apocalypsis, ut Canonicum esse recipiendum, quia à Sancta Sede declaratum fuerat, Joannem Euangelistam ejus Auctorem fuisse.

§. V.

52 QUod attinet ad prætensionem extensionis Officii S.Leandri pro tota Hispania sub ritu duplici, sunt tam efficaces rationes, quæ allegantur pro parte Venerabilis Capituli, ut vix occurrat addendum, quod urgere plus valeat. Sed adhuc non omittam hic congerere ea omnia testimonia Sanctissimi Pontificis Gregorii Magni, ex quibus ostendi melius valeat, quanti Leander, adhuc in humanis agens, apud Ecclesiam habitus fuerit, quantique ejus Sanctitas, & doctrina. Meruit enim, ut hic Sanctus Pontifex ejus visibile Caput tantum conceptum de ejus Sanctitate, & doctrina fecerit ex quo eum, dum Cardinalis esset, Constantinopoli agnovit, quòd ad apicem Pontificatus assumptus quando jam Leander ad suam Ecclesiam reversus erat, ita ad illum rescriberet [ut libro 7. Epistolarum Epistola 126. legimus]: *Sanctitatis Tuæ suscepi Epistolam solius charitatis calamo scriptam, ex corde enim lingua tinxerat, quod in carthæ pagina refundebat: Boni autem, sapientesque Viri, cùm legeretur, affuerunt, quorum statim viscera in compunctione commota sunt: Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa Epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur, & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuit ardor dicentis: nisi enim prius in se faces ardeant, alium non succendunt; Ibi ergo vidimus, quanta charitate tua mens arserit, quæ sic, & alios accendit.* Et deinde subjungit: *Vitam verò vestram, cujus ego semper magna veneratione reminiscor, minimè noverunt, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humanitate sermonis.* Et epistola 41. ex illis, quæ sub libro 1. continentur illi ait: *Quamvis etiam absentem corpore, præsentem mihi te semper intueor, quia vultus tui imaginem intrà cordis viscera impressam porto.* Et libro etiam 3. Dialogorum sic de illo cap.31 loquitur: *Viro Reverendissimo Leandro Hispalitano Episcopo, dudùm mihi in amicitiis familiariter juncto.*

53 Nec his solùm sui amoris signis, quibus demonstrabat conceptum in quo illum tenebat, continere se posuit: Libros etenim, quos in Job scripsit, quos-

quosque tanti Ecclesia habet, illi [ut ex eorum præfatione constat] dedicavit, & per sequentes literas (quæ extant lib.4. Epistola 46.), una cum Pastorali, adhuc, & cum corde, ad manus ejus transmisit. *Quanto ardore* (illi ait) *videre te sitiam, quia valdè me diligis, in tui tabulis cordis leges. Sed quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit charitas feci, ut librum Regulæ Pastoralis, quem in Episcopatus mei exordio scripsi, & libros quos in expositionem Beati Job jam dudum me fecisse cognovisti, Sanctitati Vestræ transmittere curavi.*

54 Et tandem aliis benevolentiæ officiis prætermissis, illud non omittam, quòd Thomasinus tom.1. veteris, & novæ disciplinæ *lib.2.cap.54.n.6.* refert: *Illud præterea* (ait) *collige, quod Leandro Hispalensi Episcopo cum Legatione, & Vicariatu Apostolicæ Sedis collatum à Gregorio pallium sit.* (Quod tunc temporis singulare privilegium erat). Ex quo forsan Baronius motus fuit, quando ad annum 589.ait se credere S.Leandrum in Concilio Toletano III. tanquam Sedis Apostolicæ Legatum interfuisse. Et in eo legitur illa oratio gratulatoria quam magnis laudibus idem Baronius ad dictum annum num.20. extollit. Et prætermitto omnia, quæ gessit, ut hoc congregaretur Concilium, cui 72.Episcopi assiderunt, adhuc, & Recaredus Rex, cum toto Clero, & Proceribus totius Regni, ubi abjurata hæresis Ariana fuit, & Fides Catholica uno ore laudata, & uno corde recepta, in qua Leander Regem, & Regnum totum instruxerat.

55 Sed non omittam, quæ Isidorus frater ejus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.28. de illo scribit: *Leander, genitus Patre Severiano Carthaginensis Provinciæ Hispaniæ, professione Monachus, & ex Monacho Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Bæticæ constitutus Episcopus: vir adeò suavis eloquio, ingenio præstantissimus; vita quoque atque doctrina clarissimus, ut etiam fide ejus atque industria populi Gentis Gothorum ab Ariana insania ad Fidem Catholicam reverterentur. Hic namque in exilii sui peregrinatione composuit duos adversus hæreticorum dogmata libros, eruditione Sanctarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianæ impietatis confodit, ac detegit pravitatem, ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Ecclesia Catholica, & quantum distet ab ejus Religione, & Fidei Sacramentis. Extat, & aliud laudabile ejus opusculum adversus instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit. Præterea edidit unum ad Florentinam Sororem de institutione Virginum, & contemptu Mundi libellum, titulorum distinctionibus prænotatum. Siquidem, & in Ecclesiasticis officiis idem non parvo elaboravit studio. In toto enim Psalterio duplici editione orationes conscripsit. In Sacrificiis quoque, laudibus, & Psalmis multa dulcisona composuit. Scripsit, & Epistolas multas ad Papam Gregorium, de Baptismo unam, alteram in qua præmonet, cuiquam mortem non esse timendam. Ad cæteros quoque Episcopos plurimas promulgavit familiares Epistolas, & si non lapis* [forte limpidis] *splendidas verbis, acutas tamen sententiis. Floruit sub Recaredo viro Religioso, ac Principe glorioso, cujus etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clausit.*

56 Cui adjungere lubet, quod idem Sanctus Doctor ad Claudium Ducem, quem de multis ad Fidem pertinentibus instruebat, scripsit: *Memento communis nostri Doctoris Leandri, & ejus Fidem atque doctrinam pro viribus imitare: ut in præsenti bonis perfrui, & in futuro cælestium bonorum participationem valeas adipisci.*

57 Quibus tandem adjungere debemus, quod Martyrologium Romanum 3. Kal. Martii de Leandro tradit: *Hispali in Hispania Natalis S. Leandri ejusdem Civitatis Episcopi; cujus prædicatione, & industria Visigothorum Gens, adjuvante Recaredo eorum Rege, ab Ariana impietate ad Catholicam Fidem conversa est.* Et

quod

quod laudatus Magnus Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 31. refert, Leandrum prædicatione sua Hermenegildum suum nepotem [erat enim filius Sororis suæ Theodoræ Leovigildo Regi desponsata] ad Fidem Catholicam convertisse. Ait enim: *Sicut multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Ermigildus Rex, Livigildi Regis Visigothorum filius, ab Ariana hæresi ad Fidem Catholicam, viro reverentissimo Leandro Hispalitano Episcopo, dudùm mihi in amicitiis familiariter juncto, prædicante, conversus est.* Ex quibus omnibus satis demonstratur, quanta fuerit magnitudo Sanctitatis, & Doctrinæ Leandri, quamque abundè erga Sanctam Ecclesiam mereatur, ut vel ex hoc solo ponderato titulo, quòd miseratione divina tota Hispania per illum præcipuè ab hæresi Arriana, quæ illam opprimebat, videretur libera, illi extensio cultus saltem pro eodem Regno concedatur, atque ita ejus Officium in omnibus Hispanis Dominiis celebretur: quandoquidem hoc tam grande beneficium non minus cogit, urget, & premit Regnum Hispanum, omnesque ejus Ecclesias ad hanc prætensionem toto conatu promovendam, sed & universalem Ecclesiam ad illius impellit indulgendam concessionem, ut ita ab omnibus saltem populis Hispanis ille hoc speciali cultu honoretur, per quem omnes meruerunt, quòd Gentes Gothorum illos dominantes à peste Ariana, quæ totum Regnum infestabat, liberi evasissent.

58 Cùm ergo hodie ex his omnibus Serenissimus Rex Catholicus, coadjuvando etiam prætensionem Reverendissimi Domini Archiepiscopi Hispalensis, & ejus Venerabilis Capituli [hanc causam efficacissimè promoventis] & Senatus ipsius Civitatis, ac ferè omnium Hispaniæ Ecclesiarum non minus enixè pro hac gratia efflagitet, ac pro præcedenti: Et cùm aliunde non aliud à Reverendissimo Promotore Fidei pro denegatione illius objiciatur, quàm, quod nullum novum miraculum ostenditur intercessione Beati Leandri à Deo patratum, quo intelligi valeat hanc novi cultus velle extensionem; quod pro similibus concessionibus necessarium minimè existimatur; quandoquidem aliæ multæ similes concessæ absque hac circunstantia inveniuntur: Ex his inquam omnibus, & ob eam summam venerationem, & laudem, quam adhùc in humanis agens, meruit ab hac Sancta Sede, in Magno Sancto Gregorio, Ecclesiæ clavum tenente, mihi eam concedendam venire pariter existimo, & sentio.

59 Itaque sensus meus est, quod *Officium à Sancta Sede pro S. Leandro approbatum, & Ecclesiæ Hispalensi concessum, sub ritu duplici ad totam Hispaniam, omniaque Regis Catholici Dominia extendatur.* Præsens habens, quod idem Ecclesiasticus, postquam dixerat Cap. 44. *Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua* V. 7. addit: *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Omnia tamen Superiori hujus Sacræ Congregationis judicio submitto.

Datum Romæ die 8. Decembris 1721.

Ludovicus Cardinalis Belluga.